

2, *Causa hujus Constitutionis* ponitur in evitacione immodicorum sumtuum, ut scilicet absque multis expensis Judicium criminale citò ad exitum perducatur, cum ratio ipsius Justitiae hoc requirat, ut ejusmodi delinquentes vel experiantur sententiæ justitiam, vel etiam, si apprehendatur accusati innocentia, is citò liberetur è carcere. Quantumvis & aliæ causæ adsint, quæ svadeant, lites cum primis criminales ocyssimè abbreviari, quas inter est favor disciplinæ publicæ, qui vult, ejusmodi delinquentes secundum merita punire, nec illos diu in carcere detinere, ut disputationibus prolixis & contortis interdum promeritas pœnas effugiant, vel, ad minimum eas reddant dubias: Cum primis verò si de crimine facilè constare queat, nec opus fuerit, longis & non-necessariis mediis vel delicti veritatem investigare, dum in confessionibus incarcatorum non reperiuntur mendacia, vel etiam innocentiam contra accusatum crimen defendere. Mantz. *ad h. art. num. 13. p. 313.* Quod si verò utrumque requirat pleniorum indagationem, utique adhuc integrum fuerit Judici concedere accusato spatium ad deducendam innocentiam suam: ne celeriter Justitiam administrandō in justitiam faciamus, Ernest. Cothman. *Vol. 3. Respons 34 num. 6. 7. fol. 266.* Unde etiam quod alias dicitur: *Hodie constat, hodie judicatur*, in criminalibus non procedit, ubi si ratio causæ & personæ id postulaverit, acutripiore indagatione veritatis opus erit. Propterea quoque hic abesse debet, quod dici solet: Manè processus instituitur, vesperi causa terminatur, seu deciditur, cum præcipitania in Judicando, quæ Justitiae noverca dicitur, multum obesse soleat. Peritus itaque Judex vel ex se, vel ex consilio sapientum videbit, quo pacto criminalis causa quam commodissimè citra longam & à legibus non probatam moram possit expediri, hoc enim tam accurate præscribi, vel etiam regulâ comprehendi non potest.

## ARTIC. LXXVIII.

*De constitutione diei, qua de criminis cognoscatur ac decidatur.*

*Von Benennung endliches Recht-Tages.*

**S**o der Kläger auff desß Betragten eigen Bekennen oder einbrachte Sundsvollführte Kundschafft und Beschluss wie obstehet um einen endlichen Recht-Tag bittet / der soll ihm förderlich ernennet werden. Wo aber der Ankläger umb den endlichen Recht-Tag nicht bitten wolt / so soll derselb endliche Recht-Tag auff desß Betragten Bitt auch ernennet werden. *AD*